

✓



ULB Halle 3
005 090 903



08 B 200, Kapsel (17)





DISPUTATIONEM PHYSICAM,

De

Virtute Herbarum

Medicamentosa,

Examini publico,

ad diem XXI 1. Aprilis,

Deo clementer annuente,

sistunt

PRÆSES


M. JOHANNES Müller/

ET

RESPONDENS

MICHAEL Gottfried Ziegra /

Witteberga - Saxo.



WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVI.



Virtus Herbarum

Medicamentorum

Examen publicum

ab anno 1711

per Johannem Schulerum

1712

M. JOHANNES SCHULER

RECTOR

MICHAEL GÖTTING

1712

in der Stadt Göttingen

WILHELMUS

ADRIANUS MATTHEI

1712



DS B 200, Kapsel (H)





CUM DEO.

§. I.

Herbarum virtutes morbis resistentes & *Physicus* considerat, & *Medicus*, sed diversâ ratione. Ille *sub notione veritatis*, hic *sub conditione sanitatis* expendit. Illi satis est, rem ipsam cognovisse, ejusque causas indagasse: hic plus ultra tendit, & cognitionem suam ad usum transfert. Sed una opera alteram ante se requirit, & quasi Ducem habet. Præcedit *Physici* studium: sequitur *Medici* industria. *Ubi desinit Natura scrutator, ibi incipit morborum Artifex.* Ego igitur, qui *Artis Medicæ* in posterum, DEO adjuvante, operam sum daturus, non malè fecero, si in hâc de medicamentosis virtutibus *Herbarum* doctrina, in quantum ea limitibus *Physicis* continetur, probè me exercuero. Qua de causa etiam, cum publicè ingenii vires periclitari inducerem animum, nullam aliam materiam, quàm hanc ipsam, mihi seligendam statui. Non tamen ad specialia momenta descendam, propter argumenti prolixitatem, sed in generalibus tantùm subsistam. DEUM autem, à quò rerum omnium agenda- rum primordia capienda esse rectè dixerunt Veteres, prece humili veneror, ut suâ benedictione institutum meum clementer coronet.

A 2

§. II.

§. II.

Vocibus autem hîc inhærerere diutius, pro supervacaneo & inutili habeo. Rerum potiùs agitanda sunt pondera, nominibus misis. Virtus Herbarum medicamentosa est qualitas activa, ex formâ cum primis subordinatâ Herbarum fluens, ut ejus beneficio corpus hominis à statu malo & morbo ad bonum & naturæ convenientem reducant. Genus in descriptione datâ qualitatem activam sistit. Est enim illa Herbarum virtus potentia, Corpus aliquod Naturale (scilicet Herbam) aptum ad agendum reddens: quæ Definitio Qualitatis Activæ in Physicis est. Cæterùm Activa Qualitas à Naturæ Sacerdotibus (saltem respectu nostri intellectûs) in Manifestam & Occultam dividi solet. Illa est, quæ in sensus incurrit, propriòque nomine à nobis insigniri potest, ut Caliditas, Frigiditas, Humiditas, Siccitas, &c. Hæc est, quæ sensus fugit, propriòque nomine designari nequit. Neutram hîc exclusam volumus. Dantur enim Herbæ medentes per Qualitates manifestas, & quidem vel calefaciendo, ut Absinthium, Bethonica, Hyssopus, Allium, &c. vel refrigerando, ut Acetosa, Plantago, Sempervivum, &c. vel humectando, ut Malva, Viola purpurea &c. vel exsiccando, ut Foeniculum, Artemisia, Nasturtium &c. Nonnullæ autem Qualitatibus occultis agunt, & vel humorem certum evacuant, ut Rhabarbarum, Mechoacanna, Sena, &c. vel cum membrò aliquò peculiarem adfinitatem habent, ut Majorana cum capite, Euphrasia cum oculis, Pulmonaria cum pulmonibus, &c. vel venenis resistunt, ut Scordium &c. Vid. Beat. Sperling. Instit. Phys. lib. 7. cap. 6. ad præc. 4.

§. III.

Etenim qui Occultas Qualitates tantò odiò prosequuntur, ut planè eas ex Physicæ Pomœriis proscribere ten-

rentent, vel solis Herbarum plurimarum exemplis refelli possunt. Urgeant alii vim *Magnetis*, cum ferrum trahit, aut ad polos mundi se convertit: item veneni, cum subito homines plurimos & robustissimos interficit, & id genus plura; ego ad Herbarum provoco virtutes. Per quam qualitatē, ut unum modò documentum sistam, sexcentis aliis misis, *Rhabarbarum* purgat? Dicis per Qualitatē Manifestam? Quæso, Tu eam mihi nomina, an sit caliditas, an frigiditas, an alia hujus generis. Si nominas, dicendo verbi gratiâ, *Rhabarbarum* per caliditatem purgare, ediffere, sodes, ulterius, cur alia calida non idem præstent, cum tamen habeant eandem qualitatē? Hærebis procul dubio, ut mus in pice. Si verò nominare nescis, fatere etiam mecum, fieri per Qualitatē occultam. Usque adeò ratum manet, quod ait *Scaliger*, Vir & gente & mente Illustris, *Exerc. CCXVIII. 8: Ad manifestas deducere omnia Qualitates, summa impudentia est!*

§. IV.

Cæterum quia suprâ dixi, Herbas nonnullas calefacere, quidam, qui plurimum Medicorum veterum animo insedit, error redarguendus hîc mihi videtur. Disputant enim illi, *Herbas aliquas calefacientes non esse calidas actu, sed tantum potentiâ.* Nam quia sensu externo non calidæ, sed frigidæ potiùs deprehendantur, sequi dicunt, quòd calorem & ignem actu in se non habeant, sed potiùs per potentiam & virtualementem aliquem calorem calefaciant. At quàm frustra hæc adserantur, nemo non mentis aliquò acumine præditus animadvertit. Quomodo enim quid per se (nam per aliud etiam exempli gratiâ Sol calefacit, qui in se calorem nullum habet:) possit calefacere, quod tamen actu ignem & calorem non possidet? Certè ubi nulla facultas calefaciendi est, ibi nec operatio sive calefactio

locum invenire potest. Dicimus ergo potius, Herbis istis omnino actu calorem inesse, esse tamen sepultum & involutum in Qualitate contraria, scilicet frigiditate (Herbæ enim sunt corpora mista,) quæ ratio est, quod non sentiantur prius, quam excitetur à calore externo, exempli causa à calore ventriculi aut aliò. Ita verò exsuscitatus ruit, quæ data est porta, & externum illum calorem in ventriculo aut aliâ corporis parte vehementer auget, itaque partem istam calefacit. Potest res declarari exemplo *piperis*. Hujus calor primò non sentitur contactu, quia frigidis partibus involutus est: Si autem excitetur, tunc cum maximâ vehementiâ sese exserit.

§. V.

Hæc de *Genere* Definitionis nostræ sufficiant. In *Differentia* posita sunt *Subjectum*, *Efficiens*, & *Finis*. Virtutis nostræ medicamentosæ *Subjectum* sunt *Herbæ* (scilicet non exclusivè, sed inclusivè: Nam & alia Corpora, præter Herbas, virtute medendi pollent, Arbores scilicet nonnullæ, mineralia, animalia.) Possunt autem hic, ubi de *Subjecto* agitur virtutis Herbarum, quædam moveri quæstiones. Nimirum quæritur primò: *An Mas & Fœmina in Herbis diversis gaudeant virtutibus, ita, ut ille, tanquam vegetior, Medicamentis Virorum adhibendus sit: hæc autem, tanquam imbecillior naturâ, Medicaminibus fœmininis sit dicanda?* Affirmant hoc aliqui, ut *Plinius*, *Theophrastus*, & *Botanici* plures: quibus verò nos calculum nostrum addere non possumus, cum sexum diversum

versum in Plantis nequaquam agnoscamus. Etenim perpetuum est in sexu, membrorum dari discrimina. Alias partes genitales pro maribus, alias pro foeminis creavit Natura: quod in Plantis ne lynceus quidem spectabit. Et ubi sexus diversitas, ibi debet mas foecundam vim foemellae communicare, quod iterum de Plantis non dixeris, cum una Planta seorsim posita & alteri sui similis non conjuncta fructus ferat, & speciem suam multiplicet. Si tamen interdum Planta alteri generis sui vicina laetior surgit & frugifera magis est, Sympathiae, quae in tota rerum universitate viget, tribuendum id esse duxerim.

§. VI.

Deinde quaestio oritur: *An herbae signo aliquo externo virtutem suam ostendant?*

Respiciunt enim aliqui in vi & virtute Herbarum indaganda ad certa indicia, quas *signaturas* appellant. Nam cum maxima in Herbarum coloribus, figura, & similibus appareat diversitas, hanc non frustra esse factam, aut fortuito accidisse dicunt, sed in certum aliquem finem esse productam statuunt. Creatorem enim hoc ipso, ceu in speculo quodam, ob oculos nobis posuisse naturam & vim Herbarum, ut appareat, cui quaevis appropriata & dicata sit. Hinc contendunt, Herbas, quae representant vel animalia, vel animalium partes, vel alio modo similitudinem habent cum aliqua parte, valere vel ad partes roborandas, cum quibus cognationem habent, vel prodesse ad depellendos morbos, qui ab istis animalibus inferuntur, aut in partibus illis excitari possunt. Sic censent, Cordi destinatas esse, quae sunt colore flavo atque aureo splendore; Epati appropriatas, quae praedita sunt colore purpureo & sanguineo; Lieni esse dicatas, quae colorem fuscum, terre-

strem

strem & subviridem referunt. Ita intestinis prodesse ajunt, quæ longas Corporis circumflexiones habent: Lingvæ mederi, quæ lingvam repræsentant. Contra dolores pungentes & acutos prodesse docent Herbas, quæ aculeata habent folia: contra tubercula & tumores utiles esse, quæ nodosas radices habent. Herbas, quæ perforatæ sunt, aut quæ figuram securis, ferræ, aut rei alterius vulnerantis referunt, vulneribus mederi dicunt: eas autem, quæ maculosa & squamosa quasi folia habent, scabiem & omnis generis fœditates cutis sanare. Ita referunt, Herbas, quæ serpentis, scorpionis, vel alterius animalis venenati figuram obtinent, eorum morsibus mederi. Vide plura apud *Quercetanus & Crollius*, qui de signaturis Plantarum ex professo, ut loqui solemus, scripserunt. *Conf. & Beat. Sennert. in Libr. de Consens. & Dissens. Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis c. 18.*

§. VII.

Nos existimamus, *rejicienda omnia non esse*, quæ hîc adferuntur. Neque enim formæ & figuræ istæ Herbis fortuitò obtigerunt, sed à facultate earum formatrice, quæ hanc vim à Creatore Optimo Maximo accepit, illis impressæ sunt. Ergò his signaturis aliquid subesse, omnino dicendum est. Accedit, quòd experientia, rerum omnium magistra, docuerit, in multis externas figuras virium internarum indices esse. Quare suus, inter reliquos Herbarum vires investigandi modos, locus signaturis etiam videtur relinquendus. Fatemur tamen, nobis, quid pleræque figuræ & colores Herbarum indigent, & quò fine à sapientissimo Creatore illis inditæ sint, in hâc mentis caligine ignotum esse. Præterea etiam in quibusdam signatura manifestior existit, quàm in aliis. Quâ de causâ non signo soli, vel saltem ut primario, fidendum, sed experien-

rien-

riencia cumprimis in consilium adhibenda est. Quæ res etiam facit, quòd hodie tot experimentis, tot difficultatibus, tot curis ad virtutes Herbarum eruendas opus sit; quibus verò omnibus sublevaremur facilè, si omnis Herba infallibilem aliquam potentia suæ notam foris exhiberet.

§. VIII.

Haftenus *Subjectum*. *Efficiens causa virtutis medicinalis in Herbis dicitur esse forma cumprimis subordinata Herbarum.*

Etenim pro concessio ex Philosophiæ Naturalis doctrina generali hîc habemus, omnes *Qualitates* Corporum Naturalium à *Formis* esse, ipsasque *Formas* causas efficientes *Qualitatum* proximas rectè statui. Quò positò, dicimus porrò, non unam tantùm in uno Corpore Formam, sed plures sæpius reperiri. Equidem non nisi unam esse cuiusvis Corporis *Formam specificam*, ambabus manibus largimur: cum multiplicatis in Corpore formis specificis, multiplicanda esset ipsa essentia, (quippe quam forma specifica largitur,) quòd absolum foret. At verò, præter formam Specificam, alias adhuc reperiri *Subordinatas* in Corporibus Mixtis, (de simplicibus nihil nunc adducam, cum aliàs probè sciam, in stellis, quæ sunt simplicia Corpora, inveniri tamen adhuc, præter formam specificam cuiusvis stellæ, formam Subordinatam Lucis Primæ, ex qua Stellæ sunt productæ,) rationes valdè manifestæ evincunt, quicquid etiam alii ogganire audeant.

§. IX.

Vocantur autem *Formæ Subordinate* Corporum Compositorum in Physicis, *quæ lege naturæ*, (nam eas for-

B

mas,

mas, quæ sine lege Naturæ ad tempus nonnullis Corporibus insunt, & Accidentariæ dici consueverunt, nunc non attendimus, cum ad nostrum institutum nihil faciant. Conf. interim de iis *Beat. Sperling. Institut. Phys. lib. 1. cap. 3.*) *sub Formæ Specificæ dominio aliquamdiu latitant, donec, jugo excusso, propriam speciem constituent.* Jam tales dari in Herbis, de quibus nunc disputamus, (de Mineralibus, Arboribus & Animalibus facile etiam esset probare, si opus foret,) docent cum primis Herbæ in Herbas mutatæ. Ita enim verbi gratiâ triticum abit in lolium, hordeum in ægilopem, rapum in raphanum, Zea in triticum, triticum in Zeam. In Scotia triticum in siliginem citò denegare, *Lansius* tradit *Orat. contra Britanniam.* Et *Manlius* scribit *Locor. Comm. tit. de Genis*: *Deprebensum est, triticum VVitebergæ satum tertio anno degenerasse in secale, secale autem satum in solo Thuringico tertio anno mutatum in triticum.* Ubi non statuendum est, formam in formam, exempli gratiâ, formam tritici in formam lolii degenerare. Forma enim rei essentia est: at essentia in essentiam aliam naturaliter transmurari nequit. Dicendum igitur, formam lolii sub dominiô formæ Tritici ad tempus latitasse in tritico, postea verò, pulsâ formâ tritici, in materia tritici regnare & novam speciem constituere cœpisse.

§. X. Cæ.

§. X.

Cæterùm Formæ illæ subordinatæ (si de hoc etiam quis forte quærat,) in & cum speciebus mundi ab initio fuerunt productæ. Cùm enim D E U S triticum fecit, non forsan unicam, sed plures formas ei indidit, ita tamen, ut una princeps esset & imperaret, (quamdiu scilicet in materia illa maneret,) reliquæ autem regerentur & prioribus subditæ essent. Quomodo verò hodie propagentur illæ formæ, sanè eloqui perquam difficile est. Licet autem de modo non constaret, restamen propterea neganda non esset. Quicumque ab ignoratione modi ad rei negationem procedit, pessimè omninò agit. Conabimur tamen etiam modum, vestigia Physicorum præstantissimorum secuti, aperire: Herba quævis producitur à sui simili, mediante semine; (quienim absque semine Herbas aliquas pronasci statuunt, crassum oppidò errorem errant.) In semine isto non tantùm est forma specifica Herbæ, sed sunt & aliæ formæ subordinatæ. Ut ergò semen à generante est, & in ac cum semine, forma specifica: ita & formæ subordinatæ à generante, mediante semine, communicantur.

§. XI.

Demonstratâ Formarum Subordinatarum existentia pariter & origine, jam ostendendum mihi quoque erit, quòd ab istis virtutes Herbarum medicamentosæ originem ducant. Id autem probo exinde, quia in Medicina potissimùm adhibentur *Herbæ emortuæ*. Hinc manifestum est, quòd, cùm Corpora hæc formâ specificâ destituantur,

B a

poten-

potentia medendi à forma illorum specifica oriri neque-
 at. Nulla ergò alia potentia istius causa esse potest, quàm
 Formæ subordinatæ. Schola quidem Peripatetica hîc ad
mistionem Elementorum ac temperiem qua-
litatum primarum confugit, & ab iis virtutes has
 deducit. Verùm quantum in eo fallatur, patet exinde,
 quia hæ virtutes toto genere differunt ab Elementarium
 qualitarum actionibus. Qualis enim, ut alia nunc tace-
 am, convenientia est inter calefactionem aut frigelectio-
 nem, & inter purgationem corporis? Et quamvis aliquis
 velit excipere, fieri id ex occulto mistionis modo, tamen
 frustra est, quia nuda mistio majorem Elementis virtutem
 conciliare non poterit, quàm quæ est in iis extra mistionem.
Quocunque etiam modo misceantur & re-
misceantur Elementa, eorumque qualita-
tes temperentur, nihil nisi Elementare inde
emerget, inquit B. Sennertus Hypomn. n. 2.
cap. 3.

§. XII.

Cùm verò quælibet Forma suum *Subiectum* & ma-
 teriam adæquatam requirat, etiam de harum Formarum (quæ
 scilicet in Herbis virtutum medicamentosarum causæ sunt,) *Sub-*
jecto inquirere, operæ pretium est. Hoc autem nihil
 aliud esse videtur, quàm *Spiritus ille Infitus humidumque ra-*
dicale, quæ conjunctim sumpta vulgò *Calidi Innati*, à Re-
 centioribus, Chymicis præsertim, *Balsami naturalis* nomi-
 ne appellantur. *Experientia enim docet, Herbas, cùm*
 morte

morte naturali pereunt, nullâ medendi vi pollere; cum vero avelluntur, & morte violentâ extinguntur, vim illam exferere. Ratio nulla alia reddi potest, quâ quia morte naturali defungentes Herbæ pereunt ex defectu Calidi Innati; à quo omnis mors naturalis oritur: in decedentibus autem morte violentâ Calidum Nativum adhuc viget, cuius forma, postquam specifica Herbæ forma discessit, jam capessit imperium, & cum antè inserviret formæ specificæ, instrumenti vices gerendo, nunc ut princeps causa operatur. Deinde Herbæ tamdiu vires suas integras retinent, quamdiu obtinent balsamicam istam substantiam: Quamprimùm verò eam amittunt, atque cariiosa fiunt vel putrida, etiam nullum sui usum in Medicina ampliùs præbent. Ex quo iterum apparet, vires istas à nullâ aliâ formâ, quâ eâ, quæ Calidi Innati est, derivari.

§. XIII.

Ab Efficiente ad Finem devenimus. Est autem, sicut tetigimus supra, is virtutis medicamentosæ, quâ præstant Herbæ, Finis, ut ejus beneficio corpus humanum à statu malo & morbo ad bonum & nature convenientem deducatur. Ita

scilicet Creator Optimus ægris hominibus, quos, post lapsum miserandum, variis morbis & imbecillitatibus corporis videbat obnoxios fore, Herbarum ope consulere statuit. Et, cum probè intelligeret, non semper eas virere & florere, nec omnes in quavis terrâ & regione pronasci posse, fecit, ut etiam vitâ defunctæ prodesse, quò summò hoc beneficiò omni tempore & in omni loco frui liceret. Pro quo quidem Numini divino immor-

tales agere gratias tantò magis convenit, quantò præstan-
tius donum est, à morbis immunem firmâ corporis vale-
tudine uti.

§. XIV.

Ut autem finem hunc consequantur Herbx, non
sine omni discrimine considerandæ, sed secundum *solum*,
in quo crescunt, item secundum *siderum positum* & *axem*
quoque *suum* cautè distingvendæ sunt. Nam primò mul-
tum momenti ad virtutes herbarum conferre *solum*, alia-
rum rerum exempla docent. Diversis exempli gratiâ viri-
bus vina diversis in locis nascentia prædita sunt. Aliud
vinum Rhenanum est, aliud Francicum, aliud Bohemicum,
aliud Austriacum, aliud Hungaricum. Et in universum
Plantæ feliciùs in unò locò, quàm in aliò, proveniunt.
Causa videtur quærenda cum primis esse in nutrimentis,
quæ alia atque alia Tellus hæc vel illa subministrat. Quò
præstantiores succos attrahit Planta, eò majori vi præstat:
sicuti & nos quò salubrioribus cibis utimur, eò plus vale-
mus. Præstat & hîc aliquid calor, qui plantas magis ma-
gisque excoquit & perfectas reddit. Hinc quæ in calidio-
ribus locis generantur Plantæ plerumque majorem habent
vim, quàm quæ in frigidioribus natæ sunt locis. Taceo
aëris temperiem, quæ etiam in locis aliis alia est, atque sic
etiam Plantas diversis modis adficit.

§. XV.

Siderum quòd concernit *positum*, eum quoque di-
versas Herbis vires præstare, nemo, credo, inficias ibit,
qui cogitaverit, sidera non solum lumine, sed etiam occul-
tâ

tâ influentiâ in hæc inferiora agere. Hinc aliæ Herbæ hoc mense aut anni tempore, aliæ illo lectæ magis profunt. Aliæ plus præstant, quando in Plenilunio, aliæ, quando in Novilunio colliguntur. Unô modò exemplò rem declarabo. Sic tradunt, quòd Pæonia radix lecta in Plenilunio magis valeat, quàm in Novilunio effossa. Et sanè quòd nobilissima hæc & contra Epilepsiam utilisissima Planta non omnium voto satisfaciat, nullam aliam causam putant esse Viri doctissimi, quàm quòd non justo tempore colligatur. Idem de aliis iudicium esto. Sed hæc omnia petenda sunt prolixius ex Botanicis. Horum enim scrinia compilare nobis in præsens propositum non est.

§. XVI.

Tandem ad *ætatem* quoque *Herbarum*, in earum viribus dijudicandis, respiciendum esse, dubium nullum est. Idem enim hîc fieri solet, quod in Homine & reliquis viventibus. Nam uti puer vel infans, multum quidem calidi innati habet, virtutis autem parum, quia obruitur à calido alimentitio: Sic etiam Herba tenella, quamvis humidi radicalis multum habet, non tamen viribus tantis pollet, quantis in ætate adultiore. Ulteriùs quemadmodum lenex vires ferme nullas habet, quia Calidum ejus nativum quotidie magis magisque deficit & in deterius ruit: Ita & Planta senescens jam & tabescens parum potest. Quapropter uti in hominibus media illa & florida ætas validissima esse solet: sic & Herbæ tum maximè præstant viribus, quando in media ætate & vigore suo constitutæ sunt.

§. XVII.

His cunctis ita expositis, una adhuc quæstio hîc restare videtur. Quæritur scilicet: *An Herba adhuc*

*huc hodie tantas vires in Medicina obtine-
ant, quantas ab initio, ubi Mundus recens
conditus erat, obtinuerunt?* Negant hoc, qui
mundi vires, ingruentibus annis, semper magis magisque
defecisse, & adhuc deficere, usque tum planè exhaurian-
tur tandem, persuasi sunt. Sed nos, uti traditionem illam
de senio & langvore hujus universi pro figmento, rationi-
bus gravissimis adducti, habemus, ita & censemus, easdem
adhuc hodiè in Herbis vires, quæ iis infuerunt ab initio,
reperiri. Si tamen interdum minùs validæ Herbæ depre-
hendantur, nulla alia causa subest, quàm quòd loca, tem-
pora & ætates earum non rectè attendantur, in quibus ta-
men multum omnino positum esse, modò demonstravi-
mus. Quamquam alia insuper ratio accedat. Nam ho-
die homines non ita vivunt temperanter, quàm olim vixe-
runt, sed immoderatò cibò, potu, libidine atque aliis vale-
tudinem suam citò deperdunt. Hinc fit, ut, cum mala in-
valuerunt, parùm medicamenta, etiam fortissima, effici-
ant. Sed satis longè progressi in hoc campo sumus.

Pedem ergò hîc figimus, DEO Optimo Ma-
ximo gratias immortales exsol-

ventes.







Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



45

M PHTSICAM,

erbarum

ntofa,

ublico,

. Aprilis,

annuente,

S

E S Müller /

NS

fried Ziegra /

Saxo.



GÆ,

LII, Acad. Typogr.

XXVI.

